DE PERIOSTITIDE COLUMNAE VERTEBRARUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE VI. M. AUGUSTI A. MDCCCLXIV
HORA X.
PALAM DEFENDET
AUCTOR

MAURITIUS KREMSER,
SILESIUS.

OPPONENTIBUS:
C. ELIAS, MED. ET CHIR. DR.
H. COLLM, MED. ET CHIR. DD.

VRATISLAVIAE.
TYPIS OFFICINAE A. NEUMANNI.

VIRO

DOCTISSIMO AMPLISSIMO CELEBERRIMO

H. LEBERT,

MED. ET CHIR. DR., UNIVERS. VIANR. VRATISL. PROF. P. O. ET CLIN. MED. MODERAT., PROF. HONOR. ACAD. LAUSANN., EQUIT., HONOR. LEGION. ET ORDIN. WAS., LAUREAT. ACAD. LITTER. ET MEDIC. PARIS., HONOR C. RECEPT. IN SOCIET. ACADEM. BRUXELL, IT. IN. SOCIET. MED. CHIR. PAG. TIGUR., IT. IN SOCIET. MEDIC. ANGL. PARIS., SOC. HON. SOCIET. CHIR. PAR., IT. SOC. MEDIC. GENEV., SOD. ACAD. HOLMIENS. ET FERRAR., SOC. SOC, MEDIC. HERBIPOL, LIPSIENS., DRESDEN, DUBLIN., HAFNIENS., LAUSANNENS., NEOCOMENS., TURICENS., S. GERMAN. SOC. MED PHYSIC. PARIS., S. SOCIET. PARIS ANATOM., BIOLOGIC., CHIRURG., MED. SUBTIL. OBSERVAT., S. PHYS. SOC. HELVET., NEOCOMENS., LAUSANNENS, TURICENS., BERNENS., S. SOCIET. MED-AEMULAT. PARIS. ET LYONNENS., S. SOC. SILES. PR. CULT. PATR., S. GERM. MED. SOC. LITER. VIR NUIT. TRACTAND. C.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO, SUMME COLENDO, FAUTORI BENEVOLENTISSIMO

NEC NON

PARENTIBUS OPTIMIS

USQUE AD CINERES COLENDIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIETATIS GRATIQUE ANIMI DOCUMENTUM

D. D. D.

AUCTOR.

Prooemium.

Non dubito, quin futurum sit, ut plerique, qui hunc libellum legent, mirentur, quid fuerit causae, cur hanc maxime quaestionem, quae est de periostitide columnae vertebrarum dignam indicaverim, de quo accuratius disputetur. Accessi autem ad hanc quaestionem enucleandam non quod etiam atque etiam consideranti mihi haec una aptissima atque utilissima videretur; aut quod eius morbi, de quo agitur, pathologiam vel therapiam novis quibusdam studiis curisque augerem, sed quia casu quodam felicissimo accidit, ut quum in hoc nostro valetudinario aegrotantium curam exercerem, quaedam species morbi vertebralis occurreret, quam cui morborum generi adnumerarem, dubitatione aestuabam. Tum vero vir illustrissimus Lebert, praeceptor meus dilectissimus e quibusdam propriis morbi notis, quas suo loco accurate exponemus, dubitationem mihi omnem tollens cognitionem huius morbi naturae ita instituit, ut periostitidem columnae vertebralem esse diceret, idque tam definite, tam subtiliter, tam accurate fecit, ut quum casu felici postea

rem ipsam meis oculis cognoscere mihi liceret, illud admirari satis non possem, quod tam subtiliter et sine ulla dubitatione vir doctissimus singillatim omnia ea corpora vertebralia morbo correpta agnoverat, quae accurata cognitione pathologico-anatomica re vera affecta reperiebantur. Idem professor Illustrissimus iam tum docuit hanc morbi vertebralis speciem maxime dignam esse, de qua libello proposito publice disputaretur mihique in primis, ut rem suapte natura gratam accuratius tractarem suasit. Ac profecto has morbi species Vir Ill. Lebert ita perspexerat, ut etiam singula quaeque certissime confirmarentur, adeo me delectaverat, ut grato animo conditione accepta ad hanc, quam dixi, morbi speciem accuratius describendam accederem: idque eo libentius feci, quod Vir Ill. Lebert ea qua solet, comitate, benignitate, liberalitate, quidquid ipse de hoc morbo notaverat, eo me uti iussit. Idemque liberalissimus vir lepidissime concessit, ut praeclarissimo ipsius de scrophulosis el tuberculosis opere uterer.

Gratias igitur tibi ago quam maximas, dilectissime praeceptor, semperque habebo propter summam, quam habuisti erga me benevolentiam, quam mihi ut in futurum serves precor. Accipias benevolo et miti judicio huncce libellum ut signum pietatis.

I. De morbi anatomia pathologica.

Periostitis raro apparet acuta, sed si qui morbus incidit totum corpus afficiens, id quod plerumque fieri solet eius progressum serpentem semper fere sequitur. Inflammatio dum inchoatur atque est levis, periosteum vasis sanguiferis tantum turget induratum illud quidem, sed non adeo ut nudis oculis cerni possit, quamquam partes eius constantes microscopio adhibito iam nunc luxuriantes videre licet. Tela cellulosa vircumiecta summumque ossium stratum eandem sanguins redundantium exhibent. Mox ingravescente inflammatione periosteum ut vehementius rubescit, ita mirum quantum induratum etiam oculis nudis cerni potest. Eodem tempore periostei cum exteriore ossis parte coniunctio labefactatur et illud quidem aut longius aut propius ab ossis superficie recedit. Illud etiam fieri potest, ut exterior periostei pars telis et organis vircumiectis coalescat. Sed perraro periosteum tali modo affectum manet; plerumque aut purulentatio exsistit. Tales abscessus aut uno loco aut pluribus simul aut exsudatus ab inflammatis partibus humor paullatim in ostransit. Illud si accidit, pus in ossis superficiem effunditur, ubistatim, maxime desquamato periosteo suppuratio superficialis exsistit: tales abscessus aut uno loco aut compluribus simul exoriri atque nasci possunt. Haud raro accidit, ut hi abscessus dehiscendo in corporis superficiem fistulastam molestas quam diuturnas efficiant, quae quidem magno succorum detrimento allato,

quale continua purulentatione fieri necesse est, aegroti firmam corporis constitutionem ac vires mirum quantem extenuant atque infringant. Fistulis tali modo exortis periostei ipsius indurationem fibro-plasticam vasa in ea ossis parte, quae morbo correpta est, luxuriantia videre licet. Circum tales partes purulentas inter periosteum et os haud roro occurit nova eaque nonnunquam satis magnaossium formatio, eaqua ossis partium intumescentiam, quae in ambitu fistularum ossium saepissime apparet, pendere constat. Si vero alterum illud acciderit, quod supra dixi, ex sudatus ab inflammatis partibus humor, omne spatium inter os et periosteum desquamatum explet, ac primum quidem gelato est similis, mox fit cartolaginosus, denique in novam ossium telam convertitur, ita quidem ut eandem sequatur formationem ac rationem, qua foetus immaturi ossa conformantur. Haec tela haud paucos perostei vasorum ramos excipit; ac propter teneritatem compagium in os transeuntium primum tantum ex tenuibus aut ad perpendiculum directis aut obliquum stantibus ossium lamellis composita videtur; dum vero pergit in os transire, magis magisque induratur et structurae ossis ipsius corticis assimilatur. Tamen primi ossis fines semper facile possunt cognosci, nisi quod superficiale novae huius formationis stratum, ut ipsum magis fit compactum, ita alterum quoddam exterius corticis stratum exhibere potest. Haec ossa recens formata raro habent crassitudinem dimidii aut etiam integri centimetri. Eorum forma est incerta et varia: ab osse in diversas partes exuntia aut suum quodque cacumen libere erigunt, aut cum propinquis cacuminibus se coniungunt, ut quasi pontes inde fiant, qui quidem, si in duabus propinquis vertebris facti sunt, eas arcu firmo, sive procerus est sive latus inter se committunt. Quae qnidem commissura nonnunquam tam firma est, ut nisi vi adhibita magna fieri non possit, ut fracto arcu dirimatur. Os ipsum, in primisque corpus vertebrae, nunquam fere arcus, präsertim quum periostitis purulenta exorta est, nunc magis nunc minus afficitur; sed sive maior, sive minor est ambitus, semper fere nisi in superficie non est arrosum. Nunquam fere adeo conficitur, ut totum corpus paullatim tabes-

cat inflammatione in substantiam ossis ipsam versa quam denique caries et necrosis sequitur. Itaque columnae vertebrarum inflexionem et incurvationem aut nullam invenies aut perparvam eaque nisi specie non exstat, propterea quod 'aegroti dolori parentes talem corporis habitum servant, e quo incurratio coniici quidem possit, sed probari nequeat. —

De morbi symptomatologia.

Morbi nostri symptomata primo quidem fere non aliis cognoscuntur, nisi mala affectione medullae spinalis aut aucta sensibilitate et sentiendi facultate, praeterea spontaneis doloribus aut certe sensu gravitatis, pressus aliorumque huiuscemodi, quae per ambitum norvorum ab affecto medullae spinalis loco exeuntium sentiuntur; deinde motuum vigore deminuto, sensuum aegrotationibus pruritu, formicatione etc, quae symptomata in iis corporis partibus apparent, quarum nervi ex loco male affecto aut infra eum ex medulla opinali oriuntur. Jam vero quum haud raro accidat, ut nervus sympathicus, qui est propinquus, in ambitum loci male affecti trahatur, fieri non potest, quin ea, quae ab illo innervantur, organa turbentur: exsistit igitur digestionis perturbatio, tarditas aut omnino inaequalitas motus intestinalis aliaeque affectiones, e quibus nervum sympathicum morbo correptum esse colligi potest. Quum autem hic morbus diuturnam habeat decursum, procedente tempore symptomata quum crescunt et aggravescunt, tum facilius cernuntur. Totius corporis valetudo eodem morbo semper nunc magis nunc minus perturbata est. Queruntur aegroti de doloribus quos loco male affecto habere se dicunt et hac de causa motibus nervos contendere verentur, ne maiores etiam fiant dolores. Hi spontanei dolores pressu augentur atque adeo intolerabiles fiunt. Ac si quis singulos vertebrarum processus spinosos premat, ex

aucto tali modo dolore, quaenam et quot vertebrae male affectae sint satis accurate diiudicari possit et constitui. Possunt autem hi dolores pressu aucti ex aucta posteriorum nervorum funium procedentium sensibilitate explicari, neque statuendum est, quod comprobari non potest singulas vertebras suo loco cessisse aliamque alii esse admotam. Procedente tempore in extremis membrorum partibus affectiones torpori similes non sine dolore quodam ac pressu in scrobiculo cordis apparent. Unde fit, ut aegroti eos maxime motus, quibus nervi contenduntur, vitare studeant et lubentissime in latere iaceant otiosi. Non aliter affecti sunt ac si circulo venter cinctus esset, quamquam iidem de inflatione ventris queruntur. Quoniam enim musculorum abdominalium innervatio est perturbata, hi quidem normaliter extendi ex parte desinunt. Aegroti alvo adstricto laborant et propter actionem musculorum abdominalium non sufficientem et propter motuum peristalticorum deminutionem, cuius causa ex illa, quam dixi nervi sympathici mala affectione repeti potest. Urina quoque pristinam suam naturam amittit et colorem; ac mingentes aegroti gravitatem quandam circa vesicam sentiunt. Saepe praesertim, quum periostitis purulenta exorta est, abscessus, quos vocant congestivi apparent. Aegroti, qui bene attendunt, progressum abscessus congestivi nonnunquam e sensu pressus et frigoris satis accurate describere possunt. Perroro pus in thoracis aut alvi cavum perrumpit, quo facto subita mors consequitur; plerumque autem purulentatio totam corporis constitutionem corrumpit. Somnus nisi raris iisque artificiosis positionibus parari nequit et paullatim exoritur febris cachectica, quam saepe renum degeneratio Brightiana, quam vocant, prosequitur. Ita fit, ut mors plerumque prius adventet, quam pus sive in intestinas sive in externas corporis partes penetravit. Abscessus congestivi saepe non sentientibus aegrotis exoriuntur ac mirum in modum haud raro procul a loca male affecto apparent; ut exempli causa accidit, ut abscessus congestivus in pelvi vel etiam in femore exsistat, quamquam primo thoracis vel etiam cervicium vertebrae morbo correptae sunt. Interdum etiam in carne musculorum spinalium parvi abscessus

inveniuntur. Praeterquam quod in universum magnae ossium purulentationes periculosae sunt, periculum etiam vitae molitur meningitis in primis et myelitis, si in columnae vertebralis canalem pus penetrat ac perrumpit. Saepe etiam pleuritis vel pneumonia acute incedens vitae subito finem faciunt. Sin aliter, aegroti, nisi convalescunt forte, extremo marasmo affecti moriuntur.

De morbi aetiologia.

Inflammationes et inflammationum exitus, in primis caries et ancylosis in columna vertebrali saepe occurrunt. Modo ex laesionibus, exempli causa fracturis, luxationibus magnisque contusionibus, modo ex processibus e mala succoram corporis mixtura pendentibus maximeque in hominibus scrophulis laborantibus existunt, itemque tuberculosi progrediente ac nimis accrescente syphili. Sed saepe columna vertebralis tali modo inflammatur, ut certa causa nulla inveniri possit. Saepissime autem in hominibus scrophulis affectis occurit. Neque vero verisimile est causas exteriores, imprimis ictum, plagam, lapsum, quae causae tamquam occasione datae afferri solent, re vera ad creandum malum nonnihil valere. Plerumque morbus, de quo agitur, propter ea tantum a talibus iusultationibus derivatur, quod tali praegressa cognitus est. Sine dubio autem et in vertebris et in aliis ossibus inflammationes, quae in carie vel carie necrotica exitum habent, et obscessus congestivos efficiunt, etiam si mala succorum corporis mixtura absit oriri possunt. Semper illae quidem a periosteo et exterioribus ossis stratis incipiunt. Quod si ita acciderit inflammatio semper ac sine magno dolore inceedit et magnopere accrescit, prius quam aliqua corporis functio perturbatur. Occurrit autem hic morbus haud raro, ut iam supra dixi. Nutritus non sufficiens maliaque earum verum conditio, quae ad ὕγιειαν

pertinent, quae extrinsecus valetudinem afficient, ut domicilium humidum et foetidum tatem corporis statum praeparant, in quo morbus facillime radices agat et accrescat. Ceterum huius morbi ratione habita nihil videtur interesse, utrum aegroti homines sint sexus virilis an muliebris; quamquam enim ex observationibus adhuc factis plures viros quam mulieres affectos esse repertos constat, tamen hoc casu potius quam certam ob causam esse factum videtur. Inter quintum decimum annum demum et vicesimum aetatis morbus crebicus occurrit, creberrime autem inter vicesimum et tricesimum; plerique adhuc observati huius generis morbi inter quintum decimum et vicesimum aetatis annum inventi sunt. Post annum tricesimum rarior fit morbus, sed interdum etiam anno sexagesimo occurit. Omnino post annum tricesimum crebritas fere eadem est quae ante annum quintum decimum. —

De morbi diagnosi.

Diagnosis huius morbi in universum non facilis est, et ea quae in variis eius stadiis varias permutationes facile admittere possit. Primum quidem dolores ipsi, quales periostitis efficit, tales sunt, ut ea cum neuralgia intercoatali et omnino cum neuralgia in ambitu nervorum funium ex columna vertebrarum excedentium exorta commutari possit. Qui de hac re dubitationem sibi tollere velit, cutem premat ita, ut rugam cutis sublatam inter duos digitos comprimat. Quo facto si aegrotus maiores sentit dolores, non altius quaerendum est malum morbusque satis certo cognitus, praesertim quum iidem dolores aliis quoque locis aparte columnae vertebralis maximeque in singulorum nervorum decursu sentiantur. Non minus facile potest accidere, ut periostitis cum gravi musculorum rheumatismo permutetur. Hic quoque pressu affectarum musculorum partium sensus doloris augrri potest, si quidem nihil aliud nisi musculorum rheumatismus staduendum est. Praeterea rheumatismus interdum decedit, rursusque vehementius etiam accedit ita tamen; ut aegroti haud ita magnam habeant febrim. Deinde ne periostitis columnae vertebrarum cum calculis renum permutetur, de quibus facile cogitari possit columna vertebrarum circa renum sedem affecta: in primis decedentium cum urina glareae, arenae culculorumve ratio habenda est. Sine dubio semper microscopio et chemia adhibitis urina et excretiones digligenter cognoscendae sunt. Quod qui fecerit, diagnosin magnopere

2

iuvabit. Si urina, quae saepius cognoscenda est, non mixta est albumine, item si cylindri fibrini desunt, reiiciendi sunt ii, qai renes morbo correptos esse statuunt Plerumque haec periostitis columnae vertebralis e mala succorum corporis mixtura exoritur, praesertim si scrophulosis et syphilis non deest. Quod ad scrophuloticorum a syphiliticis ossium morbis distinctionem attinet, primum illud tenendum est syphilin morbum esse hominum adolescentium proprium et eum, cuius prima initia plerumque non lateant, deinde syphilin constitutam saepe cum faucium ulceribus, propriis cutis eruptionibus aliisque esse coniunctam. Sed illud praetermittendum non est syphilin et scrophulosin coniunctas esse posse, syphilin autem scrophulosin e corporis temperatione non plane sublatam denuo posse excitare. Scrophulosis staduenta est, si simul vel antea aliae scrophularum formae exstant, deinde si causa exterior, ut vis aliaeque deest. A graviore quodam medullae spinalis morbo in eo periostitis differt, quod ea extremas corporis partes facultatem movendi servat.

De morbi prognosi.

In universum huius morbi prognosis non est fausta. Ut enim aegroti omni ratione sanarentur, raro accidisse observatum est. Plerique aegroti, de quibus notata habemus, aut non sanati aut postquam magis minusve ad sanitatem redierunt ex nosocemio dimissi sunt; contra numerus haud comtemnendus morte abreptus est. Tum maxime prognosis non prospera fit, si morbum ex scrophulosi pendere conatat; notum est scrophulosin ossium periculosissimam esse et discriminis plenam. In periostei morbis magna quaedam purulentatio, quae simul partes molles male afficit ossisque superficiem ex parte denudat, periculosissimos casus secum trahit. Porro sequitur, ut necrosin aut tale quid, quod phlegmonem latius diffusam consequi vidimus afficiat. Osteophyta et exostoses quodam modo favent etiam currae; quamquam enim haud facile decedunt, tamen minorem aegroto molestiam exhibent. Denique si caries etiam consequitur, prognosis est infaustissima et tristissima. Si qui abscessus in externas corporis partes effluxit ita tamen, ut purulentatio continuetur, magnae puris amissiones totius corporis valetudinem mirum quantum corrumpunt. Aegrotum aetas in universum ad prognosin parum momenti habet, quamquam hominibus aetate provectis parvam ac fere nullam salutis spem relictam esse constat. Sine dubio ceteris paribus non negligendum est, utrum pars male affecta maiorem an minorem habeat ambitum; deinde, utrum morbus constitutus gravior sit an levior, denique quibus aegrotus vitae conditionibus utatur, quaeque sint complicationes: quae res ad prognosin magnam habent vim.

De morbi therapia.

Therapia huius morbi satis varia est, id quod ex variis, morbi causis facillime intelligitur Prima igitur causa semper est inquirenda et si inquiri potest, in hanc therapia convertenda. Quum autem prima illa causa plerumque sit scrophulosis, omnia ea remedia adhibenda sunt, quae contra hunc morbum commendaverunt medici. Distribui potest huius morbi therapia in universam et localem therapiam. Ac priori quidem tribuenda est temperatio earum, quae ad ὑγιειαν et διαιταν pertinent. Si aegrotus domicilio malo, humido, foetido ac sole remoto habitat, hoc quidem cum domicilio opportuno et salubri permutetur, quod ut ex loco, salubri aerem puram accipiat semper videndum est. Praeterea aegrotus victum salubrem succulentum non excitantem accipiat, ut ius firmum ac bonum, carnem assam recentem, mollia ova, oleris copiam sufficientem, passim ctiam vinum bonum et vetus aut cerevisiam amaram. Semper digestionis ratio habenda est nec secretionum et excretionum cura negligenda. Ceterum profitendum est eorum omnium medicamentorum, quae enumerabimus nulli vim magnam et necessariam tribuendum esse atque etiam eorum, quae maxime commendaverant medici, compluria esse tam infirma ut prorsus nos deficiant.

1) Oleum iecoris aselli adhuc optimum usum attulit. Quod postquam per complures hebdomades

adhibitum est. saepe etiam certam attulit commutationem, quae fortuita appellari nequeat. Debet autem oleum iecoris aselli semper complures menses adhiberi, ita quidem ut, mane et vesperi semiuncia detur. Quod quum universam corporis valetudinem, nutritum meliorem reddat, efficere potest, ut ossa purulenta regenerentur et cicatricibus abducantur. Ne illud quidem negaverim oleum iecoris aselli propter magnam suam vim, quam habet in universum nutritum et sanguinem prohibere, quominus scrophulosis in oliis ossium partibns exsistat.

2) Praeparata iodi ceteris paribus non minus, quae adhibeantur digna sunt. Sed quamquam valetudinem universam meliorem reddunt, tamen propriam morbi causam tollere nequeunt. Nonnunquam aegroti prorsus sanantur continenter adhibito Kalio iodato ad gr. X ad gr. XV, vel syrupo ferri iodati quotidie duo vel quatuor cochlearia. Interdum etiam iodo et oleo iecoris aselli in vicem aut eodem tempore adhibitis bonus eventus consequitur.

3) Folia nucum iuglandum non tam salubrem vim habent, quam nonnulli scriptores iis tribuerunt. Adiumentum sane iodi et olei iecoris aselli et ad usum familiarem idonea ea esse credimus. Eodem modo coffea glandum adhiberi posse videtur.

4) Remediis amaris et tonicis, quamquam a multis commendantur, nulla alia virtus salubris tribui posse videtur, nisi ea, ut digestionem bene servantia corporis constitutionem ad magnas puris emissiones, si quae fiant, melius perferendas idoneam reddant. Quae quum ita sint, haec remedia iis maxime hominibus, qui morbi diuturnitate paene confecti sunt, utilia esse possunt, praesertim si medicus earum rerum conditionem, quae ad ὑγιειαν pertinent, meliorem reddere non potest; ceterum vinum, caro. aërsalubris meliora sunt remedia, quam amara et ferrum. Non sine bono eventu adhiberi potest infusum herbae centaurii vel quassiae vel Lupuli humuli, cuius tria vel quattuor porvilla quotidie aegrotis adhibenda sunt. Pilulae qnoque ex chinio sulphurico, ferro aliisve adhiberi possunt.

Therapia localis pertinet ad adhibitionem antiphlogosis remediorumque emollientium et mite alterantium nec minus ad irritationem ex profundo ad corporis superficiem derivandam.

Antiphlogosis topica duobus modis adhibetur. Ac primum quidem in periostitide columnae vertebrarum acuta adhibitio multorum hirudinum necessaria est; si vero morbus chronicus est factus aut si tum demum curatur, quum stadium acutum iam praeteriit, cum maiore effectu vel par vel maior cucurbitarum cruentarum, numerus loco male affecto adhibetur. Etiam in exacerbationibus acutis inflammationis chronicae fieri potest, ut hirudiues vel cucurbitas cruentas adhiberi necesse est. Si vero aegroti vires et tota corporis constitutio non tales sunt, ut maiores sanguinis detractiones ferri non posse videatur, decedendum potius est et ad cetera remedia usitata recedendum.

Remedia emollientia, si dolor et tensio augentur, id quod abscessu exoriente fieri solet, per intervolla adhibere licet. Si notarum inflammatoriarum magnitudo medium tenet, cataplasmata herbaeque aromaticae, quae adhibentur, digna sunt.

Resolventium usus exigius finibus continentur. Ungentum hydrargyri cinereum in periostitide acuta et subacuta maxime post adhibitam antiphlogosin topicam saepius puotidie confricandum est. Nec non ungenta ex kalio iodato vel ex plumbo iodato, quorum ʒj cum ℥j adipis commiscentur, composita commendari possunt; inprimis intumescentiam partium mollium aut ossis superficiei prospere impugnant.

Remedia quae vocantur derivantia a multis viris doctis, qui derivationes variis modis efficere studuerunt, iure commendata sunt. Minus fortis, quamvis haud parvam habeat effectum, est aquae calidae applicatio. Simplissime haec ratio est, ut spongia magna immersa locus male affectus aliquoties rursum deorsum palpetur. Paullo post cutem rubescentem sanguine eo confluente videbis.

Sunt qui derivationem variis excitantibus ungentis et infrictionibus efficere studuerint. Ne sim longus,

afferam tantum ungentum irritans vel ungentum ex zinco chlorato comparatum. Non minorem effectum habet infrictio olei Crotonis mixti cum oleo olivarum. Fortiores tamen sunt variae moxarum et fonticulorum species. Longe optima et ad usum simplissima, praesertim si in maiore quodam nosocomio adhibentur, sunt Middeldorpfianae moxae galvanocausticae.

Historia morbi.

Joannes Gollmann, XXV annos natus sutrinam facit idemque etiam nunc parentes suos habet, quorum tamen valentudo multis modis perturbata est. Aegrotus ipse usque ad annum undevicesimum semper satis bona valetudine se usum esse dicit. Sex abhinc annis morbo pectoris laborabat, cuius symptomata erant: universa infirmitas, tussis, sanguis exspuitio, angina pectoris etc. Tum quidem in nosocomio quodam novem hebdomades curabatur multaeque toto pectore diffusae cicatrices a scarificationibus ortae antiphlogosin tunc adhibitam esse testantur. Postea quum prorsus sanatus esset, opus suum facere perrexit, dum post tres annos in sinistri antibrachii lateri ulnari circa carpum satis magnam intumescentiam nancisceretur, quae quidem in abscessum transiens paullatim toto antibrachio usque ad olecranum accupato fistulas faciebat. Atque hoc quidem morbo, qui ex scrophulosi ossa afficiente videtur ortus esse, aegrotus viginti septem hebdomades implicatus iacebat. Similis morbus topicus proximi anni aestate in dextro antibrachio idemque in latere ulnari et circa carpum exstitit, qui tamen neque affixo lecto aegroto, neque functionum corporis perturbationibus relictis post paucas hebdomades decessit, Semper autem hic morbus extremarum corporis partium superiorum spontaneus ac sine affectione traumatica exstitit. Eadem proclivitas ad exteriores abscesuss efficiendos post paucas hebdo-

mades iterum apparuit. Tum quidem abdomen occupatur. Duo loci magnum ambitum habentes nunc vero iam cicatricibus obducti scroqhuloticos ibi abscessus fuisse testantur. Quattuor abhinc mensibus aegrotus denuo morbo correptus est, quo exillo tempore semper laborat variis aliis malis adiunctis, quae, ut in nosocomio auxilium peteret coëgerunt.

Morbus incipiebat ob universa gravitate, crebris frigoribus, capitis doloribus. Aegrotus magis magisque emacescebat cibique appetentiam amittebat. Urinae color mutabatur; mingens saepe circa vesicam gravitatem quandam sentiebat, quamquam, ut saepius quam antea mingeret non cogebatur. Ne quantitatem quidem urinae unquam a pristina diversam fuisse dicit. Et circa renes maxime in dextro latere et in columna vertebrarum dolores sentit eodem tempore exsistentes et in dies paullatim aggravescentes. Ante octo hebdomades aegrotus tussi vexari coepit, quae cum expectoratione mucosa et incruenta erat coniuncta, nec nisi mane exstitit. Eodem tempore magna pectoris angina laborabat et regurgitatione, quae utraque cessante tussi plane evanescebant.

Status praesens. die 16. 5. Aegrotus macie modice est corruptus, cachecticus, scrophulosus, tatura parva, macera, faciei colore pallido. Tota facies speciem praebet graviter laborantis, fatigati, comatosi; intelligentia autem prorsus est integra et incolumis. Interrogatus ad rem respondet. Praecipue de doloribus queritur circa renes pungentibus, qui in partem anteriorem usque ad hypochondrium pertinent, maximeque pressu adhibito augentur; praeterea dolores et spontaneos et pressu adhibito auctos per totum columnam vertebrarum a vertebris lumbalibus usque ad vertebras thoracicas superiores sentit. Verum his doloribus, quominus facile ac sine labore incedat non impeditur, neque sentit perinde ac si esset alvus circulo constricta et cincta. Hi dolores dum aegrotus se erigit in lecto et si in dextram vel sinistram partem se convertit, valde augentur. Intumescentia vero columnae vertebrarum earumque processuum spinosorum animadverti non potest. Nec minus pulmones morbo sunt affecti; dyspnoea magna et contina, respiratio

frequens, tussis brevi tempore rediens, quae maxime mane exstat et cum regurgitatione est coniuncta aegroto magnam afferunt molestiam. Et in anteriore et in posteriore thoracis parte percussionem pectoris sonus iustus consequitur. Inspiratione dextra thoracis pars magis expanditur, quam sinistra. Thorax ipse iustam praebet configurationem. Auris anteriori dextri thoracis parti apposita respirationem auctam eamque supplemento expletam sentit; contra in sinistra thoracis parte respiratio minus fortis auditur. In posteriore thoracis parte exspiratio utrimque aucta et prolongata auditur, quae respirationi bronchiali fere similis est. In anteriore dextri thoracis parte a costa secunda usque ad sextam inspiratio acute stridens auditur; rhonchi maiores vel crepitus nusquam exstant. Respirationum numerus in sexagesima horae parte est triginta sex vel quadraginta. Cor iusto latius percuti non apparet. Et systole et diastole sunt purae. Cordis impulsus est vehemens itemque carotidem pulsantem vides ac sentis. Pulsus fortis est ictuumque numerus centum quattuor et viginti in sexagesima horae parte. In hepate nihil invenitur, quod aegrotum dici possit. Tractus intestinalis magnopere perturbatus est. Jam diu retardatio alvi et diarrhoea in vicem se recipiunt. Nunc vero ad eiectiones succulentas maior est proclivitas, quarum tamen quotidie una tantum fit. Ventriculus non est inflatus; sed in abdomine magnus meteorismus apparet. Neque ventriculus neque abdomen spontaneos aut pressu adhibito paratos dolores sentiunt. Aegrotus saepe regurgitationibus laborabat, quae tamen acidum in ventriculo gigni non sunt testes, sed quas omnino ex indigestione pendere verisimile est. Linga albo est obducta et iusto siccior. Semper aegrotus siti vexatur; circa renes magnos sentit dolores maxime in dextro latere. Urinae copia, quae quotidio dimittitur est unciarum triginta; pondus specificum 1022; reactio acida, color subrufilus est et turbidus ac praeter magnam natri urici copiam albumen satis multum continens. Cylindri fibrini non inveniuntur. In abdomine duo abscessus subcutanei et dolore vacui diametro 2″ apparent, quorum superficies decolorata est. Quod intus

est consistentiam satis magnam habere videtur et in varias partes dimoveri potest. Jam per semetre iidem perdurant. In tota corporis, superficie cutis est sicca. In extremitatibus inferioribus oedema nullum exstat; neascites quidem apparet.

Aegroto in longitudinem columnae vertebrarum dolentis duodecim cucurbitae cricentae applicabantur. Praeterea ei dabatur mixtura oleosa cum victu et ex animalibus et ex herbis arborumque fructibus petito; ad bibendum aqua Selters. Postea ei data sunt remedia tonica eademque antiscrophulosa scilibet ferrum iodatum in mixtura hac: Rp. Syrp. ferr. iodat. ʒvj. Aqua destill. ℥vj. MDS. 4mal tgl. einen Esslöffel, nec non quotidie duo cochlearia olei iecoris aselli. —

d. 25. 6. Pondus specificum urinae minus, albumen auctum colore urinae normali. Dolores sanguine in loco dimisso aliqua ex parte comminuti sunt; sed qui erant circa renes, iidem intensi persistunt. —

d. 2. 7. Non modo columna vertebrarum, in qua parte morbo est affecta sedetiam regio renalis valde sunt dolorosae. Pondus urinae specificum 1022. Albumen denuo auctum; appetitus melior. Aegrotus continuo vexatur siti, tussi, regurgitatione. Vomitus non est secutus. Quotidie nonnullae defaecationes diarrhoicae fiunt; quae ut desistant, aegroto pilulae dantur quotidie duae, quarum quaeque gr. ½ argenti intrici tenet. Curatio reliqua eadem. —

d, 4. 7. Pondus specificum rursus minutum, 1014, diarrhoea aucta, defaecationes quotidie quattuor; eadem curatio. —

d. 7. 7. Digestio quum esset valde perturbata ferro iodato relicto ferrum per hydrogenium reductum ei dabatur:

Rp. Ferri per hydrogenium reducti gr. XXX.
Sacchari albissimi ʒjj.
Mfpulv. divide in part. aequal. N. XV.
S. dreimal tgl. ein Pulver.

dolores in columna vertebrarum non tam valde sentiuntur. Pondus specificum 1009; tussis eadem; respiratio valde gravata cum inquiete magna coniuncta. In quoque latere iuxta scapulam respiratio bronchialis auditur. —

d. 10. 7. Satus idem.

d. 16. 7. Urinae copia permagna; nam quum antea ℥XXX. excernerentur, nunc iam ℥LXIV quotidie dimittuntur; sed pondus speeificum ad nullum reductum; albumen non auctum. Non solum in columna vertebrarum dolores sunt multo minores sedetiam in regione, quae est renum sedes; lingua est pura, sed appetitus nullus, et sitis in dies augetur et aegrotum vexat. Jam extremitates inferiores nec non scrotum oedemate intumescunt; aegrotus languidus et somnolentus fit, marasmus et virium detrimentum in dies augentur. Quotidie sex vel septem defaecationes diarrhoicae exsistunt, quamquam pilulae argenti nitrici ei dubantur. Jam Infusum digital. cum kal. acet. et syrup. Diacodii aegrotus accipit. Marasmo, qui totum afficit corpus magis magisque aucto, urinae copia quae quotidie excernebatur, ad dimidiam reducta quantitatem, pondere urinae specifico eiusque albuminis copia semper modo aucta modo comminuta, dyspnoea quum etiam orthopnoea esset facta, totiusque corporis functiones valde essent perturbatae, aegrotus die XXV mensis Julii hora matutina est mortuus.

Sectio LIII. hora post mortem.

Dura mater uno in loco cum haemisphaerae superficie concreta; cerebrum ipsum et cerebellum omnino sanguine vacuum eiusque consistentia prorsus mollis. In cavo abdominis aliquantum fluidi clari videtur. In dextro latere thoracis adhaesiones cellulosae in parte superiore inveniuntur, quae in posteriore parte firmiores sunt, nec non pseudomembranae gelatinosae et exsudati liquidi unciarum quattuor vel, sex. In latere sinistro una tantum cohaesio pontem simulans quemdam in lobulo superiore adest nec non unciarum sex vel octo fluidi turbidi. Nec in latere sinistro pseudomembranae non desunt. Thorace aperto maiores vertebrae thoracicae arrosae et carie corruptae apparent in superficiem fluidum purulentum emittentes. Magna et crassa exsudati consolidati massa in eo loco, ubi ligamenta intervertebralia perierunt vertebrarum corpora teguntur. Magnam tali modo fluidi copiam in thoracis cavum effusi coniici potest magnis absccssibus congestivis apertis exstitisse. Maximus abscessus con-

gestivus in dextra columnae vertebrarum parte est. Expericardio nonnullae fluidi clari unciae effluunt. Cor parvum; valvulae omnes sunt normales. In utroque pulmonum apice nonnulla tubercula in calcem versa inveniuntur; lobulus sinister superior omnino normalis, inferior autem oedematosus. Utriusque lobuli margines valde sunt emphysematosi. Pulmonis dextri tela est crepitans et ubique emphysema videre potes, inferior tantum lobulus oedematosus, praeterea expleuritidi pseudomembranae gelatinosae cum lobulo cohaerent. Dexter hepatis lobus altus Cm 22; sinister Cm. 14; latitudo maxima Cm. 26; textura normalis. — Splen. Cm. 10 longus, Cm. 9 in latitudinem Cm. 3 crassus; consistentia bona, modiocri hyperaemia. Ren sinister est longus 13 Cm; latus 7 Cm; crassus 4½ Cm; figura bulbosa et informi. Substantia praesertim corticalis prorsus est decolorata et multis locis hyperaemica. Ren dexter longus 14 Cm; latus 7 Cm; crassus 4 Cm; substantia sinistro reni similis; in superficie tantum hyperaemia maior apparet. Ventriculus quam sit parvus iure mireris: membrana pituitaria valde tumescens, colore nigricante, muco impleta; nonnullis locis hyperaemia apparet; nec non intestini caeci membrana pituitaria colore nigricante. Ad processum vermiformem cicatrix invenitur eodem colore, qui color etiam colon accupat, per quod nonnulli noduli albi sunt sparsi pus spissum pressu adhibito emittentes.

Intestini coli membrana pituitaria est cinerea et tumescens. Membrana pituitaria vesicae urinariae pallida, consistentia bona. In sterni margine inferiore in parte dextra, ubi abscessus, quem supra diximus, exstitit, cavum satis magnum invenitur, quod vero sternum non transit. Quod quidem cavum substantia casea impleta est, quae utrum massa tuberculosa an pus spissum dubitaveris. Sternum ipsum illo loco prorsus laeve et nusquam arrosum. Olecrano dissecato abscessus pristini et spissati apparent, qui tamen maiore ex parte in tela cellulosa sedent; olecranon ipsum morbo non est affectum, sed in parte superiore diaphyseos tela sclerotica invenitur. Vix fines pristini intelligi possunt, qui superficiem ulnae veram a formatione nova separant. Quod stratum crassum est

5—6 Mm, neque superficies et substantia ipsa manifeste inter se differunt: Canalis medullaris sclerosi ad minimum est reductus; olecranon ipsum aliqua ex parte telam ostendit spissatam. Canali medullae spinalis aperta magna fluidi copia sub matre dura apparet. Venae sunt valde curvatae. Vertebrae thoracicae duodecimae ligamentum intervertebrale magna ex parte deletum est, et eodem loco dura mater massa subrufula condensata. Medulla spinalis nusquam induratione vel mitigatione esse affecta videtur, neque consistentia mutata est. A vertebra thorocica quarta usque ad ultimam superficies aspera et aliqua ex parte periosteo nuda. Uno in loco inter vertebram thoracicam undecimam et duodecimam ligamentum intervertebrale ad maiorem partem deletum. Vertebrarum substantia periosteo nuda prorsus fere est hyperaemica parum rarefacta neque serra fortiter repugnatur. Maxime morbo affecta et quidem antiquitus est vertebra duodecima; sequester multangulus fabae magnitudinem non superans apparet; praeterea in parte superiore eiusdem vertebrae caverna aperitur amygdalae magnitudine, quae crassa pseudomembrana est obducta et flavam quandam massam purulentam continet. Pars inferior vertebrae undecimae et duodecima sclerosi est occupata; praesertim zona scleratica apparet in cavernae ambitu ita quidem ut illo loco cavum medullare osse sit expletum. Vertebrae affines normales sunt nec non ligamenta intervertebralia, quae parum tantum a periosteo aliqua ex parte sunt arrosa.

Theses defendendae.

1) Metrorrhagias matronarum pletora abdominali laborantium, medicamentis topicis radicitus sanari posse non credo.

2) Venaesectionem in pneumonia instituendam non esse necesse, nisi dyspnoea magna vitam exstingere videtur, contendo.

3) In trismo venaesectio optimum est remedium.

Vita.

Natus sum Mauritius Emilius Rudolfus Kremser, fidei addictus catholicae Kal. Octobris a. h. s. XXXIX in pago Silesiae superioris Piltsch prope Oppidum Leobschütz sito, patre Mathia, matre Eleonora e gente Werner, quos parentes vivos salvosque per longum adhuc tempus Deus mihi servet. Primis litterarum elementis in schola patrii loci imbutus gymnasium Leobschützense, tum directore Dr. Kruhl florens, per annos novem frequentavi. Anno h. s. LX maturitatis testimonio ornatus hanc almam petii litterarum Universitatem Viadrinam et ab Ill. Braniso, tunc fasces academicos tenente in numerum civium academicorum receptus, apud Ill. Barkow tum gratiosi medicorum ordinis decanum maxime Spectabilem nomen rite dedi.

Per quadriennium disserentes audivi viros Illustrissimos, Celeberrimos, Experientissimos: Aubert, Barkow, Betschler, B. Cohn, J. Cohn, Foerster, Frankenheim, Freund, Grosser, Grube, Haeser, Heidenhein, Lebert, Lewald, Loevig, Middeldorpf, Paul, Meyer.

In exercitationibus clinicis et policlinicis me benignissime adiuverunt viri experientissimi: DDr. Caro, Dittmar, M. Freund, W. Freund, Fuhrmann, Jaensch, Reichelt, Ressel, Reinhard, Schiffer, Sommerbrodt.

Quibus omnibus viris Ill. Cel. Èxp. gratîas ago ex intimo animo meo quam maximas.

Tentaminibus vero et physico et medico nec minus examine rigoroso superatis, fore spero ut hac dissertatione cum adiectis thesibus palam defensa summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.